



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

V. Ei Justitiæ acquiescendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

la vibrantis non adspicientium. Quis sapiens reus altercetur, & sæviat in carnificem, sententiæ Judicis exactè obtemperantem? Quin illi potius pecuniam numerari jubeat, ut D. Cyprianum securi ferendum lictori suo fecisse, Pontius refert. Carnifices nostri sint malæ hominum voluntates, famam lanient, honorem concidant, opes concerpant, nos & nostra quæ possunt excarnificent: bilis tamen in illos evomenda non est: quandoquidem nil agere possint, nisi ex supremi Judicis præscripto.

V. De Dei manu adspicienda, *Ei iustitia acquiescendum.* etiam ubi manibus improborum utitur, satis diximus Partis alterius Sectione prima. Interim ad eventa quælibet, seu Saül invideat, sive Absalon rebellet, seu Semeï convitietur, assuescamus dicere cum Davide Psalmo 118. *Iustus es, Domine, & rectum iudicium tuum.* Quæ verba identidem repetebant Hippone obsessi per Vandalos Episcopi Africani cum Augustino, uti narrat Possidius cap. 28. Vitæ D. Augustini. Eadem

in ore habuit Mauritius Imperator, à Phoca gregario nuper milite captus, spectareque coactus carnificinam liberorum, constantiâ in tam tatro spectaculo prorsus admirabili, apud Baronium anno 602. Neque absimilia iteravit Pharao prodigiis conterritus, & plagis tantisper edomitus Exodi cap. 9. *Peccavi etiam nunc: Dominus justus, ego & populus meus impii.* Sed quia cogitationi isti, ac confessioni, seriam pœnitentiam non adjunxit, frustra fuere voces in speciem piæ. Nos & agnoscamus Justitiam divinam, & supplicii acquiescamus, & clementiam pœnitendo demereamur.

VI. *Potentia tertius. Providentia divina vultus.* Nec difficulter Justitiæ divinæ decernenti stabit, qui decreta sua efficacissimè exequentem contemplabitur, potentiamque ejus agnoscat & expendet. Neque enim ignorabit, sese velut reum convictum & damnatum esse inter satellitum manus, quas si sequi noluerit, iuventus ac renitens trahetur. Christiano sufficiunt hæc verba ex cap. 49. Isaia: *Ego sum Deus, & non est.*